TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

TYPHO.

13

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

TYPHO;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

THOMAS WOOD,

HIBERNUS,

Soc. Med. Hibern. Edinb. olim Soc. Extraord. et Praeses annuus;

necnon

Soc. Philosophico Literar. Soc. et Praeses annuus.

Non mihi sed rationi, aut quae ratio esse videtur, milito; securus quid mordicus hic tenet, aut hic. SCALIGER.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCV.

O blessed health! thou art above all gold and treasure; 'tis thou who enlargest the soul,—and openest all it's powers to receive instruction and to relish virtue. He that has thee, has little more to wish for; and he that is so wretched as to want thee,—wants every thing with thee.

TRISTRAM SHANDY.

Patruo ſuo dilectiſſimo,

Reverendo viro

JOANNI RUSSEL CAREW,

Apud Garrane,

In praefectura Corcagienſi;

Itemque

Reverendo viro

GEORGIO ARMSTRONG,

Praeceptori ſuo eximio et amico,

Ad Corcagiam;

S. P. D.

THOMAS WOOD.

Propter inſtituta perennia, jubente ſenatu ampliſſimo, quae in hac alma academia, theſin inauguralem, ex ſingulis pro gradu doctoris candidatis, in lucem proferendam exigunt, non eſt cur ex ipſo non loetor animo, occaſionem eſſe oblatam, qua beneficia agnoſcam, quantumque vobis ſum devinctus palam profitear. Exiguum equidem eſt pignus, attamen ſincerum, et animum haud ingratum eſſe nec immemorem oſtendere ſaltem inſerviat Affini ob amorem patruiſſimum, tum et beneficia amiciſſima;—praeceptori propter monita praeceptaque utiliſſima quibus me dignatus eſt, obſtrictus ſum. Accipiatis igitur, benevolis animis, haec qualiacunque ſint ſtudiorum meorum tyrocinia, quae veſtris nominibus, viri reverendi, libens lubenſque inſcribo.

DABAM EDINBURGI, IDIBUS
JUNII, S. H. 1795.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO.

Auct. T. WOOD.

PROOEMIUM.

MORBORUM quibus humanum genus fit obnoxium, nullus forsan insultu tam improviso et celeri, exitio tam infausto ac febris *continua* olim aggressus est. Non est igitur cur miremur, homines quidem multos ab eo correptos praemortuosque fuisse apud antiquos; praesertim in aevis, quibus natura et curatio morborum fere omnium parum intellectae fuerunt. Licet res ita sese habuerit, tamen fatendum est, hoc prae-

 sens

ſens aevum illis ſeculis divinctum eſſe, quippe quod illa, nobis viam per ignorantiam ſuam aperuerunt, potius experientiam ſequendi quam fidem theoriae dubiae habendi. Doctrina noſtra hodierna, quae maximi momenti eſt, haud ex variis hypotheſibus pro cauſa proxima excuſis, ſed ex ratiocinatione plus aequa experientiâ comprobata, ortum deduxit. Opiniones veterum e contra, intuitum operum naturae leviſſimum, et judicium ſymptomatibus minoris momenti implicatum, planè coarguunt; quod manifeſtè ex ſententiis eorum probandum ſit de

Cauſa proxima.—Opiniones antiquiorum attamen, quae nunc minime valent, in lucem proferre ſupervacaneum duco. De recentioribus igitur, quibus faverunt SYDENHAM, BOERHAAVE, HOFFMAN, et CULLEN ſermo tantum erit.

Vir illuſtris primus cauſam proximam materiei febricali attribuit; verum actionem ejus in corpore,

pore, ſe non poſſe exequi palam confeſſus eſt. Ille de hac re differens, hiſce loquitur verbis. "*Si mentem ſerio applicuerimus, quid de facto agat*" "*natura et quibus in operatione ſua utatur orga-*" "*nis, deprehendere valemus; modus tamen quo*" "*illa operatur, aut ego fallor, ſemper latebit* *." Quamvis ſententia ejus perquam ingenioſa videtur, futilitatem tamen perſpicuè oſtendit Profeſſor noſter eruditiſſimus DUNCAN †. Ratiocinatio ſua hujuſmodi eſt :—opinionem à SYDENHAM complexam et à variola extortam, analogiâ neutiquam ſtabilitam affirmat: quia nempe variolae, rubeolae, pertuſſi, &c. ſemel tantum per vitae decurſum obnoxii ſumus: quinetiam, licet hi morbi, cum bene tractantur, mites eveniunt, tamen curſus eorum ſolitus excurrendus eſt; dum febris e contrario, ope remedii vomitorii vel ſcintillarum electricarum extemplo ſaepe in fugam vertitur. Praeterea, jam luculenter patet, eam eſſe

* SYDENH. *Diſſertat. Epiſt.* Pag. 485. 6.

† *Praelect. Clinic.*

esse natam sine contagio pro causa.—De *lentore fluidorum*, cui credidit BOERHAAVE, motum sanguinis accelerante, imprimis notat, pulsus arteriarum ex aliis causis accelerari posse; dein, ad hypothesin suam firmandam, nonne inferre debet, renixum corporis superficiei accidisse? Pulsus tamen, etiam cum sudore profuso, saepe crebri sunt.—Huc quoque addendum venit, quod lentoris formatio tarda fit, dum actutum agit contagio.—*Spasmum cum debilitate* quod attinet, opinionem quam stabilire conati sunt HOFFMAN et CULLEN medici magni nominis, idem animadvertit, utrosque nonnunquam adesse sine febri instante vel succedente, quod frequenter accidit post lavationem frigidam. Praeterquam cur atonia spasmum gignit, intellectu difficile est; namque saepenumero adest magna debilitas absque eo; e contra sudor aliquando colliquativus in conspectum prodit.

Professor noster ex experientia edoctus, hanc causam

causam in statu cerebri morbido ponit; et omnibus medicis, his attentione debita perpensis, jam probe persuasum est quod haec notitia plus consona, magisque cum experientia et morbi natura consentanea, quam omnes supra recensitae. Verum enimvero multum abest ut hic status cerebri ex toto intelligatur, et quod multum probandum adhuc restat, modicè affirmat.

Morbi Character.—"*Morbus contagiosus, calor*
"*parum auctus, pulsus parvus, debilis plerumque*
"*frequens; urina parum mutata; sensorii functi-*
"*ones plurimum turbatae, viresque multum immi-*
"*nutae* *."

Historia.—Phaenomena quae huic morbo praecedunt, aeque ac mutationes causis occasionalibus inductae, priusquam symptoma quod primo

* Cullen *Synops. Nosolog. Methodic.* Tom. II. Gen. V.

mo manifeſtè apparet, ſub tenebris omnia latent, propter ſyſtematis nervoſi ignorantiam. Ad primum morbi inſultum, gradus quivis debilitatis univerſalis adeſt, quem ſequuntur anorexia, languor, laſſitudo. Sic aeger ſeſe habet pro die una vel altera, cum frigus calorque ſibi invicem ſuccedunt, torpore vultuque dejecto, vertigine, nauſea, plerumque vomendi deſiderio comitata. Vultus palleſcit, decreſcit. Ægre vel leviter dormit; et occurrunt ſomnia horrifica. Haec ſymptomata manè quodammodo allevantur; veſperi autem ſemper ingraveſcunt. Pulſus arteriarum, uti docet definitio, parvi ſunt et debiles, plerumque crebri et inaequales. Inaequalitas in hoc conſtat, quod pulſationes quaedam, crebrae et validae obſervantur cum ſubito ſanguinis fluxu vultum, genas praecipue, rubore ſuffundentis; nonnunquam fluctuantes fieri ſolent, illico poſt placidae aequaleſque, et ſic viciſſim *. Calor faciei interdum quaſi ardens percipitur;

* HUXAM *on the Slow Nervous Fever*, chap. 7.

cipitur; colorque ad diem ſextum ſeptimumve ex morbo inchoato, et juxta finem infauſtum, admodum ruber. Membra inferiora, eodem tempore, perfrigida ſentiuntur. Oculi aureſque modo inuſitato afficiuntur: hi vero ex morbi initio langueſcunt, hebeſcunt. Lingua ſiti inexplebili affecta, muco albido ſemper fere oblita eſt; et cutis plerumque arida et ſicca videtur. Lotium modo rubet, modo et quidem frequentius pallet; aliquando ſincerum nec ullâ nubeculâ ſuffuſcatum; nonnunquam attamen cereviſiam tenuem et vapidam cum ſedimento levi refert. Alvus tarda vel ſoluta eſt; rariſſime ſed interdum naturalis. Ad diem plus minus ſeptimum, ſigna omnia ingraveſcunt. Reſpiratio gravior fit, et ſudores frigidi in frontem erumpunt. Aſperi ſentiuntur per caput dorſumque dolores. Delirio quoque, necnon tinnitu aurium ſubſultuque tendinum affligitur aeger. Dum perſtat delirium, perturbatur animo, magnopere mutit balbutitque. Marginem luteoſum habet

lingua,

lingua, et nisi mollis humidaque servetur, variis dehiscit partibus. Dentes materia subnigra operiuntur, et per totum os insuavis sentitur sapor, qui saepe vomitum nauseamque deducit. Aliquando immensi subito erumpunt sudores, plerumque frigidi, et extremitates versus viscidi: aliquando etiam sudor, morbo invadente, manans, is ad finem usque perstat. Petechiae per totum corpus passim se diffundunt, praesertim in pectus dorsumque; quod tamen non semper accidit, neque si quando fit, fixum excipit morbi terminum. In quibusdam exemplis observantur a quarto die, in aliis vero, non ante decimum quartum. Morbo jam ad lethalem vergente exitum, omnia debilitatis signa graviora fiunt. Vox demissa, tenuis, et vix audienda evenit. Pro delirio, profundus aggreditur sopor, et aeger, viribus deficientibus, summum lecti locum tenere impotens, imas versus partes gradatim delabitur. Partes corporis inferiores, sanguine propius cor accedente, frigescunt. Ungues pallidae

seu

ſeu lividae fiunt; ictus arteriarum debiliores, crebriores; interdum vero tardiores et nonnunquam etiam intermittentes. Nunc ſaepius remeant tendinum ſubſultus. Floccos capere quos in aëre natantes percipere credit, fimbriaſque veſtis ſejungere aggreditur aeger. Hebes et fere ſine ſenſu evadit; vix clariſſima voce ſeu fulgentiſſima luce afficitur, quamvis ad eas ſuſcipiendas, morbo ingruente, facillimus eſſet. Singultus inſequitur vehemens totumque corpus cadaveroſum fit. Quae partes jacenti premuntur, eae gangraena afficiuntur. Sphincteres relaxantur; hinc lotium et faeces et lachrymae inſcitè excernuntur: ſanguis etiam e naribus et gingivis interdum defluit. Omnia haec ſigna diſſolutionem corporis appropinquantem planè indicant. Haec inter, tendinibus vellicantibus trementibuſque convulſionem univerſalem praemonſtrantibus, vita denique extinguitur.

Tempus ſpeciale quo haec febris vitae terminum ponit, incertum eſt. Illuſt. PRINGLE affirmat, eventum ejus ſe vidiſſe, et per mortem et per ſalutem in ſeptimum diem; frequentius vero eam obtinere ad decimum quartum aut viceſimum, immo equidem ad diem viceſimum octavum. Non deſunt etiam exempla ubi morbus adhuc diutius perſtitit: namque in noſocomio regio hujus urbis, puer hoc morbo laborans, per temporis ſpatium multo longius aegrotabat, quam auctor ſupra memoratus experiendo unquam compertus eſt. In tumores glandularum qui ſuppurant, interdum deſinit hic morbus. Poſt exitum interdum occurrunt ſurditas et quaedam fatuitas, uti nonnulli autumant. Nobis autem veriſimilius videtur, has affectiones per morbi decurſum enatas, finem ejus excipere.

Diagnoſis.—Cum attentè conſideremus nexum inter febres, argumentum inire de quo illae diſcrepant, ſupervacaneum eſſe judicamus. *Synocham*

cham vero quod attinet, docemur eam perraro, si unquam quidem sinceram sese ostendere. Verisimilius nobis videtur auctores parum accuratos fuisse; et loco *synochae*, synochum seu febrim forsan cum typo locali falsè depinxisse.

A. cel. Gregory certiores facti sumus, se ne singulum quidem synocha correptum unquam vidisse, quamvis complures febre laborantes ipse tractaverat. Huc accedat, hoc medico eximio testante, quendam, ex usu immodico liquorum spirituosorum qui vapores calidos ex alembico sursum emittebant, signis hujus febris nonnullis corripi: at insuper dicit, morbum potius maniam quam synocham retulisse. Quinetiam absimile non est, synochum antiquis tractatum, in finem infaustum ob regimen calidum se brevi deduxisse, sine comate aliisque debilitatis signis quae typho apparent. Si hanc febrim ita tractatam e typho discrepare velis; discrimen tametsi invenies haud tantum natura existere, quantum

tum methodo curandi; namque ſi ei typus debilis typhoides superveniret, dilirio et ſignis inflammatoriis mitigatis, morbus in typhum ſe deflexerit.

Cauſae quae corpus typho opportunum reddunt.

Calor.—Caloris virtus *modici* omnibus diu bene nota eſt. Ut ſtimulus pro vita conſervanda tam gravis momenti eſt, ut omnia ſine ejus impulſu, et animalia et vegetabilia, brevi pereant. *Immodicus* corpus enervat, omnes ſecretiones excretioneſque perturbat, et tonum ventriculi laedendo, eum praevenit ſubſidio quod toti corpori exigitur. Cum ardens ſit calor, particulas primarias diſtendit et a ſe invicem, vi ejus expanſiva, ſejungit: ſic vires quibus cohaerent, conſumit. Quod ad morbos pertinet, dicere non ſit inutile. In typho nunquam ſudorem percepi, cum pulſus fuiſſent crebri atque debiles, calore,

eodem

eodem tempore, inordinato exiſtente; nec quidem in aliis morbis acutis, ubi pulſus duri et crebri et pleni inveniuntur.

Frigus.—Corpus frigori oblatum, calorem emittit fortaſſe cum infra gradum 62°, pro rato gradu adhibito. Quum mediocre, corpus roborat; ſed quum maximè intenſum, vitam extinguit, quia corpus uti ſupra diximus, abſque quodam caloris gradu qui ad evolandum in ſtatu ejuſmodi proclivis eſt, nequit exiſtere. Quoniam ſententiae promulgantur variae de ejus natura, haud alienum igitur foret, opiniones proponere paucas, quae ſtabiliendae forſan adhuc reſtant.

Utpote frigus quam maxime licet intenſum ſine quodam caloris gradu patefactum adhuc nuſquam fuit, nobis concludere fas ſit, frigus vim ſedativam abſolute non eſſe: namque ubi calor ſi etiam minimus exiſtat, ibi veriſimile ſit

vita

vita hujus aliusve modi *. Verum enim vero corpus humanum quod attinet, quo gradus caloris quidam exigitur ut ritè faciliusque munera ejus solita absolvenda, sine dubio videtur, quod gradus qualiscunque sit .62° infra, apte et jure appellatur quoad corpus humanum *frigus sedativum*, cujus effectus plerique et tactu sentiunt et oculis vident; scilicet, cute corrugata, facie pallida, et in quibusdam hominibus habitu molli flaccidoque gaudentibus, propter cursum fluidorum intus versum, cephalalgia vel sensu aliarum partium corporis ingrato. Frigus cohaesionem inter fibras arteriae calore nimis distentae inducit, quò impetus sanguinis imminuitur. Hoc in modo, nostro saltem judicio, cohaesio fit peracta: arteria scilicet fluidis distenta, calorem suum spontè tradit, et sic tonum fibrarum solitum recuperat vas. Ab hoc exemplo multisque aliis,

* Illustrari id queat piscibus, qui polo arctico hiemant, multisque animalibus, immo insectis, qui, frigori intenso hisce in regionibus atris superstites sunt.

aliis, manifeſtè patet vis ſedativa frigoris; quia enim ſi eſſet ſtimulus, vim arteriae expanſivam augeret.

Vires aëris frigidi in corpus, et praeſertim in pulmones indeque in omnia iis pendentia organa, namque " auxilio ſpirabilis aurae indigent," experimento in canem inſtituto aptè probeque commonſtravit ingenioſus anatomicus, CRUIKSHANK. " *I opened the wind pipe of a dog*
" *whoſe ſpinal marrow had been divided in the*
" *neck, in whom the par vagum and intercoſtal*
" *nerves had alſo been divided in the neck.*
" *He had been apparently dead above a mi-*
" *nute, and the heart had ceaſed pulſating. I*
" *introduced a large blow-pipe into the opening*
" *made in the wind pipe, and began inflating the*
" *lungs. I imitated the ſlow and full reſpiration.*
" *In about half a minute, the heart began to pul-*
" *ſate again: I continued my inflation of the lungs,*
" *and the heart continued to beat full equable pul-*

" *ſations,*

" *ſations, at the rate of 70 in a minute, for a com-*
" *pleat half hour. Hence it is evident that the*
" *heart's action was reproduced and kept up from*
" *the ſtimulus of the air on the lungs, and in con-*
" *ſequence of keeping up their motion* *."

De frigore cum humiditate conjuncto, ebrietate, pathematis animi, exinanitionibus inſolitis, metu, vita ſedentaria, &c. ſupervacuum eſt verbum amplius dicere, quam omnes corpus directè aut indirectè infirmando agunt. Sed vero quoniam debilitas ex omnibus ut cauſa praediſponens non conceditur, haud abs re eſſet obſervationes paucas proferre. Obſervatum eſt, ſi debilitas ad febrem praediſpoſuerit, ſenes, phthiſicos, hydropicos contagio febris obnoxiores fore quam eos minus enervatos: Quod res ita ſe habet, liquido patet ex experientia Prof. GREGORY qui nunquam niſi unum hydrope laborantem,

* CRUIKSHANK's *Letter to Mr* CLARE.

tem, contagio febris affectum vidit. E contrario dicitur, corpus humanum binis morbis, eodem tempore, raro condolere: ſunt qui affirmant, hoc nunquam accidiſſe; attamen id interdum evenire, perſuaſum eſt hoc eximio viro *.

Atqui

* Conſtat nihilominus fortaſſe, corpus úno eodemque tempore à duobus morbis contagioſis nunquam affici: factum à Cruikshank eſt narratum, quod ſuis verbis tradere liquet. "The preſence of one infectious matter will ſometimes prevent the abſorption of another. A very curious inſtance of this I had laſt ſummer in a child I had inoculated at Parſon's Green. On the eighth day after I had inoculated her, the meaſles appeared, and no change had taken place in the arm where the variolous matter had been inſerted. It appeared quite well, nor could I diſcover where the puncture had been made. The meaſles laſted their uſual period, about fourteen days, and on the beginning of the fourth week after ſhe had been inoculated, the puncture in the arm began to inflame, formed a fair ſmall-pox puſtule, and the uſual eruption followed. The child had them of a very mild kind, though ſhe had been very ill of the meaſles, and recovered. A ſimilar

Atqui re ita ſe habente, corpus adeo enervatum morbo qui inveteraverit et ſyſtema nervoſum adeo mutatur, quod contagium typhi niſi admodum acre vel grandi copia accumulatum, corpus nequit afficere, propter vim vitae valde exinanitam et ſentiendi fere impotentem. Contagium igitur ex hujus defectu, et irritabilitatis et forſan caloris, ad actionem ejus fovendam et incitandam ſpectantium, neceſſe eſt ut pereat. Verum cum contagio magna vi accumulata, et naturâ magis aſpera ſit, oportet in corpore ſaevire pariter ac contagium peſtis. Hinc febris forſan inſultum facit in hydropicos. Intellectu haud difficile eſt, quod nequit pauxillulum et modicum, magnum multumque plerumque queat. Haec opinio plus conſona videtur ex obſervatione ſequente. Juvenes et vigentes praeſertim, cum corpora eorum ullo

caſe formerly occurred to Mr Hunter. He mentioned it to me as a proof, that two infectious diſeaſes could not act upon the body at the ſame time. CRUIKSHANK's letter to Mr Clare."

ullo modo enervata ſint, contagio febris potiſſimum affliguntur: in hos ſaevit etiam majore impetu. Contagio in talibus corporibus recepta, irritabilitatem eorum incitat quae multo plus eandem exaequat quam in ſtatu languido, tabeſcente quo debilitas fere immutabilis evenit.

Cauſae occaſionales.—Cauſae ad typhum gignendum recenſitae, ſub capita duo plerumque veniunt; quorum,

1*um*, Agnoſcit contagionem e corporibus febricitantium exorientem.

2*um*, Habet cauſas quae modo peculiari debilitant: hujuſmodi ſunt aër inquinatus e qualicunque re; defatigatio cum humiditate, venus immodicè culta, pathemata animi, exinanitiones inſolitae, &c. &c.

De contagione typhoidea obſervationes inire

ſupervacuum

ſupervacuum eſt.—De *aëre inquinato* permultae ſunt affirmationes antiquorum quae cauſam febris quam maxime malignae id aſcribunt. De caeteris verum cauſis ad typhum gignendum reſpicientibus, probabilitas nobis tantum reſtat; namque experientia ex toto deficit. Veruntamen quoniam huic morbo origo aſcribenda eſt e contagione humana minime pendens, vereſimile videtur hunc ab iiſdem cauſis etiamnum enaſci poſſe; et de his, nullae probabilius exiſtunt quam conjunctio illorum quae ſupra recenſuimus. Anno 1731 in diſſertatione medici eruditi apud Corcagiam, multae notantur cauſae; quales aër irriguus, aqua immunda, nidor lanienarum rancidarum foetidus, ſimul cum grandi copia carnium ſine vegetabilibus, tempeſtate cibaria durante, pauperibus devorata *.

Non deſunt etiam qui huncce morbum miaſmati paludum attribuunt. Peſtem ſeu aliquem morbum

* Rogers's *Eſſay on Epidemic Diſeaſes.*

morbum exitiosum, pro annis decem saevientem, aquae foetidae, lutulentae ad oppidum *Delft* referunt quidam. Haec res ab illust: LIND, de morbis Indiarum occidentalium narrante, firmatur;—observat, littora paludosa esse, quibus si quis accederet, statim nausea vomituque aggrederetur et illico post febri typhoidea. Quomodocunque haec res sese haberet, certum est quod inter typhum et intermittentes connexio valet. *Pringle*, de febribus intermittentibus provinciarum foederatarum, dicens, minime dubitat quin res ita sit *.

Est et alius vir cui, nobis persuasum est, asserenti magis prae caeteris observantia habenda est, qui affinitatem has inter febres ultra metam in hisce verbis ponit. " *Quartans and Tertians* " *are apt to become Quotidians, these to pass into* " *the*

* PRINGLE, Part I. Chap. 1.

" *the ſtate of Remittents, and theſe laſt to become con-*
" *tinued* *."

Pro certo habetur quoque cel. DUNCAN typhum penultima aeſtate tractaviſſe, quae in febrim intermittentem planè ſe deduxerat.—Connectio inter febres haud difficilis intellectu e quo chemia, teſtibus CRELL et HASSENFRATZ, in lucem protulit; ſcilicet, acidum tartaroſum ex carbono et hydrogeno, primâ oxygenatione, fieri; ſecundâ et tertiâ, acidum oxalicum et acidum acetoſum vel aceticum. Ex omnibus his factis nobis equidem omnino incongruum videtur, contagium, ſive actio ei ſit chymica quae Doctoribus BEDDOES et WOOD placuit, ſive incitans vel ſeditiva, effectus ſuos gignere ſecundum naturam ſyſtematis vimque ſuam concentricam. Hoc tamen propoſitum fines quidam quodammodo terminant; quippe enim aliquid contagio eſt proprium, quod plerumque ſe diſponit ut eundem morbum produceret.

Prognoſis.

* CULLEN'S *Firſt Lines*. Parag. 57. Vol. I.

Prognosis.—Non est ex uno vel altero symptomate eventum hujus morbi dirimi posse; namque ad eum stabiliendum multa conspirant. Inter signa infausta videtur esse nexus quo, simili fere modo ac catena, ea invicem connectuntur. Hinc, omnia e causa aliqua generali originem ducere, haud absimile est. Statum videretur illo diversum, e quo prognosis infelix deducitur, faustum fore. Haec tamen ratio licet maxime congruens, experientia non semper firmatur: namque eos interdum invenimus unum pedem in cymba Charontis pro certo tempore habentes, alterumque brevi, ut videretur, secuturum, subito e faucibus lethi correptos, et fere uno eodemque vestigio temporis quo mors timenda fuit, cibum poscentes. Hujusmodi exempla duo e praxi medica cel. Gregory se offerunt; ex quibus constat, primum aegrotum pulmentaria ingurgitasse; alterum sermonem cum aliquo habuisse de rebus politicis, in ipso temporis articulo quo hic medicus mortuos supposuerat. E contra,

alios

alios interdum conſpicimus cum omni ſpe convaleſcentes, extemplo morte correptos. Hujuſmodi exemplum narrat idem medicus: dum ſigna diſcipulis propitia praedicaret, aegrotus cum matre ſermonem habens, mortis angoribus ſubito arreptus fuit.

Fluidorum putredo.—Petechias, maculas et vibices, haemorrhagias, gangraenam, halitum foetidum quod attinet, ratione potius ad ſtatum ſolidorum laxum et enervatum habita, quam ad conditionem fluidorum putridam, tam prope cum *pathologia humorali* connexam, clarius et liquidius, noſtro judicio, hae redduntur; quia niſi per ſtatum ſolidorum minus firmum exoriri nequeunt; verum enimvero, ſi in conceſſo eſſet, haec ſigna poſtquam apparuerint, putrida evenire, non ullo quidem modo ſequitur, maſſae totius fluida tunc per corpus celeriter rapta, in ſtatu putrido eſſe. Petechiae vero aliaeque eruptiones febriles nonnunquam abſorbentur, quum ſi putredine

imbutae,

imbutae, minime corpori humano ſanae forent, ut mox planum reddere conabimur.

Sententia cel. MUNRO ſuis in praelectionibus de epiſtaxi in typho prolata, noſtram opinionem magna ex parte confirmat;—Epiſtaxin ſcilicet, ex atonia ſolidorum et tenuitate fluidorum revera proficiſci.

Rem ad plenum perſcrutari non liquet nobis per otium limiteſque hujus opuſculi. Facta idcirco perpauca tantummodo proponemus, ad rem potiſſimum ſpectantia.—In *ſcorbuto* fluida putrida eſſe, plerique putant: tamen certiores facti ſumus ab experimento à LIND inſtituto, ſanguinem ſcorbuticorum in eodem aëris ſtatu ſervatum, non citius corruptum fuiſſe quam eum ex venis ſanorum detractum. In alio experimento, ofellas ovinas ſero ſcorbutico immerſit; alias ſero ſalubri. Illae non vitiatae ſunt, ſed

ſuave et jucundè oluerunt quamdiu poſteriores, quae ſanguine puro maceratae fuerunt.

Lettsom in re medica ſagax narrat, ſe, multas mulieres febre carcerum laborantes, viſiſſe, quae lac per totum morbi decurſum infantibus praebuerunt: febrim tamen prorſus effugerunt *.

Multa ſunt experimenta quae noſtro propoſito inſervire videntur. Ex theſi inaugurali Doc. Evans conſtat, ſe cum Doctore Meade ipſum adjuvante, in venam jugularem canis, ſanguinis recentis drachmas duas infudiſſe, quae ex altero cani detractae ſunt. Conglutinavit vulnuſculum et ſanus abiit. Ex aliis experimentis patet, cum leviter vitiatus vel penitus corruptus fuiſſet ſanguis, canis confeſtim graviter aegrotare coepit, et quaſi ebrius ambulavit. Vomitus, dyſpnoea,

* Lettsom's *Memoirs of the London Diſpenſary*, p. 26.

noea, languor univerſalis ſupervenerunt, convulſionibus dein ſuccedentibus, vita exceſſit.

Per haec experimenta veriſimillimum videtur, ſi *putridus* eveniret ſanguis, incongruens et minime flammae vitali commodus eſſet. His praetermiſſis, LIND, experimento alio, omne dubium exemit. Namque, ſero ſanguinis centum ſcorbuticorum guſtato, inſipidum ac albumen ovi id reperit.

Status putrefactus ſcorbuticus, noſtro ſaltem judicio, ad typhum ingraveſcentem referri poteſt; quia ſigna eadem putrida, ut vocantur, in conſpectum produnt, ſcilicet, petechiae multiformes, foetor halitus, haemorrhagiae, diatheſis gangraenoſa, &c. Exinde concludere liquet, haec ſigna typhi ex alia, praeter hanc ratam, dependere cauſa; quippe quod morbus, ne alia proferam argumenta, ſine contagio interdum

ſaevit.

ſaevit. Ne hoc in dubio ſit, quaeramus quo in modo originem duxerat?

Ratio medendi.—Multa remedia ad ſanationem hujus morbi dicata, de quibus haud pauci jampridem fuſè tractaverunt, jam recenſere ſupervacuum duco. Ad principia igitur et quae frequentius uſitata me accingam; ſed imprimis ad *conſilia medendi*, quae *tria* nobis videntur.

Primum.—Cauſas occaſionales quam citiſſime dimovere;

Dein.—Diatheſin phlogiſticam ſubigere;

Demum.—Debilitati occurrere.

Haec conſilia poſt remedium *vomitorium* ſub morbi initium exhibendum, accommodata videntur. Effectus ejus, ob ſympathiam univerſalem, in totum corpus pervadunt. Nonnullis creditur, effectus

tus

tus optabiles e concuſſione vehementi ſubitaque exoriri, ſyſtemate nervoſo, contagione affecto, mutationem, eam ob cauſam, ſubiente. Rem ita ſeſe habere, non obſto; minime vero negandum eſt, quin modus operationis ſecundarius utilis eſſet; nempe, ut ventriculum e contentis morbidis conflatum, propter ejus debilitatem fibrarum, exoneret et ſudorem poſtea eliciat.

Conſilium primum.—Hoc, ſordes amovendo cubiculumque ventilando, potiſſimum abſolvitur. Cum id facile non fieri poteſt, aër denſus foeduſque ignibus ſeu vaporibus *aceti* vel *olei eſſentialis reſinae terebinthinae*, &c. purgandus.

Conſilium ſecundum.—In hoc morbi ſtadio *remedia diaphoretica* ſaepe levamen afferunt, praeſertim ad febris inſultum; nam tunc, teſtante Pringle, magno cum fructu exhibentur; ſi tamen magna urgerit debilitas, minus utilia fiunt. Alvus per omnia morbi ſtadia ſolvenda ſit, prae-

cipue

cipue cum impetus vehemens ſanguinis ad caput irruit. In *priore* ſtatu, *enemata emollientia* uti corpus parum debilitant, optimos edunt effectus. In *poſteriore*, cathartica mitiora, qualia ſunt *oleum ricini*, vel quidam e ſalibus neutris, vel etiam *antimonium tartarizatum* parvis doſibus ſaepe iteratis, exiguntur. Mutanda quoque ſunt lintea et corporis et lecti; et ſumma mundities obſervanda eſt. Oportet etiam fortaſſe quod corpus indies, aquâ frigidâ cum aceto miſtâ, lavandum ſit.

Jam luculenter patet, *aquam frigidam* in morbo de quo hic agitur, effectus peroptabiles plerumque edere. Si nobis theoriam proponere fas ſit, ratio agendi ſic quodammodo explicari queat.—Pulſus debiles, crebri, debilitatem atque irritabilitatem cordis arteriarumque pro cauſa agnoſcunt. Haecce conditio autem arteriarum maximam partem propter calorem ardentem perdurat, qui corpus ſanè multum infirmat. Cor,

calore

calore imminuto, fluxum ſanguinis majorem excipit, unde ſanguis aucta vi propulſus eſt, et ictus arteriarum pleniores tardioreſque eveniunt. Haud abſimile videtur etiam, delirium, tinnitus aurium, aliaſque cerebri affectiones quae ex ſtatu quodam inflammatorio exoriri videntur, ſic multùm allevari. Haud incongruum eſt quoque, quin *vinum*, *opium*, *cortexque cinchonae* effectus eoſdem praeſtant, cum hoc autem diſcrimine, quod haec remedia ſyſtema nervoſum et cor roborando *directè* agunt; dum *indirectè* agit lavatio frigida.

Conſilium tertium—Hoc conſilium enimvero quod attinet, medicamenta efficaciſſima ſunt quae corpus roborant et incitant; qualia *cortex Anguſturae*, *pulvis Swietaneae*, *radix Colombae*, *cortexque Cinchonae*. Incitantia ſunt *vinum*, *alkali volatile*, *moſchus*, *camphora*, *veſicatoria et opium*. Quae praecipuè uſurpantur, ſunt *vinum*, *moſchus*, *veſicatoria*, *opium*, *cortex Cinchonae*.

Cortex

Cortex Angusturae.—Hoc medicamentum ut amarum et aromaticum, ad fibras ventriculi roborandum multum pollet. Cel. DUNCAN effectus praestantissimos in statu debili, multis in casibus, compertus est. Ex quibusdam etiam observationibus constat, cel. viatorem BRUCE dotes hujus medicaminis in se ipsum, felici cum successu, exploravisse.

Vinum.—Huic morbo optimè respondit vinum, utpote stimulus et amicus et cardiacus; immo equidem, omnibus aliis medicamentis ad vires restaurandas planè antecellit.

Moschus.—In signis admodum periculosis, scilicet in singultu subsultuque tendinum quae versus finem ingruunt, saepe valet moschus. Medicus ingeniosus CLARK effectus ejus sic ornatè descripsit. "*Musk given to the quantity of a* "*scruple every four hours, seldom failed to abate* "*the hiccup, and other convulsive symptoms atten-*

"*dant*

"*dant on fever, and to act as a powerful cordial*
"*and diaphoretic* *."

Veſicatoria.—Haec pene ſemper in uſu ſint, ſi dolor typi inflammatorii in qualibet parte urgeat; caeteroquin multo minus utilia, ut verbis ſequentibus concinnè et pulchrè oſtendit cel. Profeſſor GREGORY. "*Exiſtimata ſunt praeſertim*
"*reſpondere ſub finem febrium, et in iis caſibus ubi*
"*magna infirmitas, et ſtupor vel ſopor aliquis ade-*
"*rant. Talis autem ſopor non ſemper nocet, aut*
"*hujuſmodi remediis eget; et viribus multum frac-*
"*tis, motuque imprimis ſanguinis deficiente, non de-*
"*ſunt alia, promptiora, et efficaciora, et magis*
"*grata, et magis tuta, remedia ſtimulantia, exter-*
"*na pariter et interna* †."

Hoc opuſculo ad finem pene uſque perducto,

E ſupereſt

* CLARK *on Hot Climates*, p. 142.

† *Conſpect. Med. Theoret.* p. 489. Vol. II.

supereſt ut pauca de effectibus *opii* inſpicienda proponamus.

Opium.—Odor huic ingratus, ſaporque faſti-dioſus et amarus, tum et ex experimento cum ſolutione aquae chalybeatae, videtur aſtringens. Doſis modica tranquillitatem animi amiciſſimam gignit, languore torporeque excipiendam. Ictus arteriarum primum crebriores, dein molliores, pleniores et tardiores eveniunt. Si calor ſit vehemens, uti in ſtadio calido febris intermittentis, ad eum gradum quem Dr ALEXANDER argutè probavit ad ſudorem eliciendum minus idoneum, doſis ſat magna hujus medicaminis motum ſanguinis inſolitum, celeremque, qui hunc calorem induxerat, mitigat: ſic pulſibus momentum praebet, et, teſtante LIND, ſudorem e corporis ſuperficie, hoc in ſtatu, elicit.

Doſis major opii perturbationem capitis cum vertigine efficit. Ad doſin adhuc ampliorem

auctum,

auctum, non ſolum vertiginem et cephalalgiam, ſed tremores etiam cum delirio convulſionibuſque producit. Tandem, haec ſigna in ſtuporem quam maxime profundum evaneſcunt. Stertor ſequitur; denique mors.

Multum laudatur in morbo nobis perpenſo, quippe quod in tremoribus, delirio, ſubſultibus tendinum, vigilantia, diarrhoea, &c. pollet.

Ex his quae ſequuntur factis, quibuſdam *incitare* videtur opium.

Signa furioſa inſani cujuſdam, ope ſanguinis detracti remediorumque catharticorum, ſedata fuerunt. Magna vis opii ad ſomnum profundius conciliandum adhibita fuit. Haud ita multo poſt redierunt ſigna priora; immo equidem aucta vi.

Infanti undecim menſes natae, quae cholera

morbo

morbo cum ſignis univerſè inflammatoriis propter dentitionem laboravit, portiunculam opii dedi. Symptomata aliquantiſper poſt exhibitionem graviora evaſerunt.

Portiuncula opii, quam ſequitur ne vix quidem ullus collapſus, ut vocatur, ſomnum adimit aeque ac vinum, vel alius ſtimulus ut ſaepe expertus ſum. Fertur quoque, illos qui parum aegrotant et ſommo ſe dare cupiunt, opium ſemper capere, aliquot horas inter lectum ſe recipiendum. Effectus ejus primarii in Turcos, qui hoc inter pugnandum devorant, haud ſedativi, ut quidam afferunt, ſed quam maxime incitantes, uti nobis apparet ex animi conſtantia, audentia, viribuſque corporum eorum adauctis; namque ſimili fere modo pugnant ac Hiberni potu ſemigraves.

Hemicrania cum diarrhoea laboravi, quibus L. L. guttas triginta noctu ſumpſi. Calor ardens; pulſus

pulſus duri, crebri plenique; dolor ſummi capitis crucians evenerunt. Totam noctem inſomnis peregi, et ſudor, ad mane uſque interceptus fuit. In diſquiſitione inaugurali Dr FOWLER de *Inflammatione* prolata, hoc medicamentum, inter quoſdam ſtimulos multum celebratur. Ex ſuis experimentis in arterias cuniculorum per opium inſtitutis, narrat quod "gravis ſtatim inflammatio excitabatur, quae "tamen brevi ſubſidebat *." Non deſunt alia pernumeroſa quidem hujuſmodi experimenta.—Ex omnibus his factis, nobis, inferre haud abſonum eſſet, primarium *opii* effectum ad vim muſcularem, et ſigna inflammatoria magis adhuc incitandum, eſſe. Verum enimvero, quamprimum vis ejus prima conſidet, *collapſus partialis*, ſi arteria vel muſculus afficientur; *univerſalis*, ſi ventriculus, ratione ad doſin ſatis amplam habita, ſequitur, qui perpetuo eſt ſequela cujuſlibet ſtimuli. Per hoc poſterius ſtadium, ſigna inflammatoria ſubſident,

* *Tentamen Medicum Inaugurale de Inflammatione*, p. 21.

ſubſident, vel ut brevi expediamus, cum irritabilitas partis affectae magnopere imminuta eſt.

Quamvis *incitatio* et *collapſus* ex magna doſi medicamenti ſtimulantis nunquam non exoriuntur; tamen *collapſus* jure attribuitur, magna ſaltem ex parte, naturae fibrae muſcularis; namque intellectu difficile eſt, quo in modo una ſingula res effectus binos adverſarios, in ſe ipſa habere poteſt. Hoc, ut opinor, ſignificaret "*rem* "*poſſe eſſe, ac eandem eſſe tamen nequire.*" Cum ullus ſtimulus agere ceſſat, effectus primarius iterum pro certo tempore incitatus eſt, idem remedium aucta doſi exhibendo, alterumve in ejus loco; quod ſaepenumero in me ipſo expertus ſum. Verum cum ſtimulus diu adhibeatur, pars affecta adeo fit exhauſta, quod nullus omnino effectus in conſpectum prodit; quia enim pars gradatim minus irritabilis, et ſenſus expers evadit. Nonne hinc, praeter rationem ſupra recenſitam, probabile, quod ſtimulus, dum in qualibet parte agat, aliquid e nervis et fibris muſcu-

laribus

laribus eripit, unde debilitas ſequens? Ebrius idem non eſt, qui paulo ante fuit; nec idem eſt quidem proximo die cum hebitudo et torpor, non ſolum totius corporis, ſed animi quoque ſuperveniunt. Quo major ſit irritabilitas, eò citius ebrioſitas. Infantes et impuberes citiùs inebriati, adulti et praecipue phlegmatici tardiùs.

FINIS.